



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

Symbolum XCV. Pluto, & Plutus, inferorum dij.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

## SYMBOLVM XCV.

Pluto &amp; Plutus, inferorum dii.

Ex Variis.

Ethicè.

1. Significatio fluviorum Tartari. 2. Monstra orcina. 3. Tormenta inferorum. 4. Plutus divitiarum deus, & eius comites.

**P**luto Saturni filius ex Ope conjuge, frater Jovis atque Neptuni, qui cum ad triplicis regni divisionem venissent, *Plutoni*, qui natu minimus, imperium inferorum obtigit. Dicitur est ἀπὸ τῆς πλῆτης à divitiis, quòd opes ab inferis, hoc est, ex imis terræ visceribus eruantur. Eandem etiam ob causam Latini *Ditem* appellarunt. Cic. lib. 2. de nat. deor. *Summanus* vocatur, quasi summus deorum Manium. Item *Orcus*, quasi *Urgus* ab urgendo, quòd omnes in interitum urgeat. Uxorem habuit *Proserpinam*, Cereris filiam, de qua Symb. 27. Fingitur solium insidere ferreum, assidente juxtà conjuge, (quæ Græcis *Persephone*, δία τὸ πάντα πρῶθεν τῶ φορῶ, quòd omnia perdat cæde) accubante ad pedes Cerbero, tricipiti cane. Ipse medius inter *Furias*, & reliqua tartari monstra, jura tremenda dicit & dat *Manibus* circumstantibus; ferrugineam in capite coronam, similèque sceptrum manu gestans, facie nigra & terribili, flammantibus oculis, voce horrenda, & omnes inferorum sedes concutiente. Eum Claudianus lib. 1. de raptu *Proserpinæ* sic depingit:

Ipse rudi fultus folio, nigræque verendus  
Majestate sedet: squalent immania foedo  
Sceptra situ, sublime caput mœstissima nubes  
Asperat, & diræ riget inclementia formæ.  
Terrorem dolor augebat. Tunc talia cello  
Ore sonat. Tremefacta silent dicente tyranno  
Atria, latratum triplicem compescuit ingens  
Janitor, & presso lacrimarum fonte resedit  
Cocytus, tacitisque Acheron obmutuit undis,  
Et Phlegethontæ requierunt murmura ripæ.

De



De eiusdem sævissimo tribunali Statius 2. Thebaid.

Fortè sedens media regni infelicis in arce  
Dux Erebi, populos poscebat crimina vitæ,  
Nil hominum miserans, iratusque omnibus Umbris,  
Stant furia circum, variæque ex ordine Mortes,  
Sævaque multifonas exercet Poena catenas.

De Proserpina comminiscuntur Poëta, eos, qui essent morti proximi, ab ipsa primùm tonderi; nec aliter diem suum obire posse: & hanc causam Didonis difficulter morientis affert Maro 4. Æneid.

Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem  
Abstulerat, Stygióque caput damnaverat orco.

Hoc insinuat Horatius lib. 1. Od. 28.

Mista senum ac juvenum densantur funera, nullum  
Sæva caput Proserpina fugit.

Et Satyra 5. lib. 2. Tiresias cum Ulysse pauca locutus, à Proserpina retrahitur. *Sed me* (inquit ille)

Imperiosa trahit Proserpina; vive, valéque.

Hoc ipsum innuit Tibullus lib. 3.

At mihi Persephone nigram denuntiat horam.

Est enim illa mortis ac vitæ arbitra implacabilis.

Qui verò moritur, cum sit orci victima, censetur ab ea tonderi, similitudine à pecudibus traducta, quæ cum in sacris immolarentur, capitis earum fetæ ferro secabantur. Virgil. 6. Æneid.

Er summas carpens media inter cornua fetas,  
Ignibus imponit sacris libamina prima.

## Ethica.

I. (a) Alibi retulimus ex Marone, Plutonis regis, ferream esse portam præstructam, quæ pessulis, claustrisque firmissimis obmunita, accipit adeuntes, trajecto prius *Acheronte* fluvio, cui nomen *αἰὸν τῆ ἀχαιῶν*, καὶ πένω, quasi *doloris fluvius*. Alii deducunt ab *α* particula privante, & χαίρω gaudeo: hoc est, *gaudio carens*. Dicitur excipere defunctorum animas, quia cum morituri sunt homines, subtristis quidam torpor mentem ita labefactat, ut propinqua mors ex eo facile sentiat: tunc enim conscientia, rerumque gestarum memoria animum perturbat, ideóque hæc palus omnibus primò est trajicienda. *Acherontem* excipit *Styx*, & ipsa fluvius

(a) Significatio fluviorum *Tartari*.



fluvius seu palus infernalis, significatque *mœstitiā*: quid enim apud inferos, nisi illatibilis horror? vel dicitur ἀπὸ τῆς στυγῆς, timeo, odi. Injicit enim odium erga transacta facinora, quæ sera pœnitentia consequitur. Ex Styge profluit *Cocytus*, nomen habens ἀπὸ τῆς κωκυζέειν, *lamentari, lugere*. Præter hos fluvios aut paludes, ambit regiam Plutonium

----- rapidus flammis torrentibus amnis

Tartareus *Phlegethōn*, torquetque sonantia saxa. 6. *Æncid.*

Appellationem trahit à φλέγω, ardeo:

Serviunt hæc omnia ad doctrinam moralem:

Nam II. (b) Quod Poëtæ Plutōnem fecerint regem Erebi potentem, sceptroque tremendum, merito possumus transfere ad cacodæmones, qui ab Apostolo Ephes. 6. vocantur *Principes & Potestates, & Rectores mundi ac tenebrarum*. Quorum quanta sint odia, & quàm crudelis tyrannis in genus mortalium, qui vel apud inferos ab iis torquentur, vel in vivis exagitantur, non est necesse pluribus ostendere; cùm è sacris constet litteris, hos esse tortores & carnifices à Deo immisos ad fontes cruciandos. Nec incredibile est, dæmones terribilium bestiarum formas assumere ad damnatos horribilius torquendos. In *Isaia* legimus c. 34. *Et occurrent demonia onocentauris, & pilosus clamabit aliter ad alterum: ibi cubavit lamia, & invenit sibi requiem*. *Onocentaurus* est monstrum ex asino infernè, & ex homine supernè conflatum. *Pilosus*, sunt dæmones, specie hircorum, quos sæpe in conventibus sagarum induunt, quosque vetustas *Faunos & Satyros* dixit. *Lamie*, sunt dæmones succubi, vel illorum spectra, quæ *Empusa* dicuntur, apparentque mulierum formâ, ad homines in Venerem illiciendos & perdendos; inceduntque uno pede. Huc applicari potest, quod *Deus* Deut. 32. minatur. *Dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium super terram, atque serpentium*. Quis enim satis explicet, quibus larvis sese *Alastores* teterrimi, extra & intra Stygem hominibus objecerint, objiciantque? Unde sacris in paginis afficiuntur nominibus variis, videlicet *serpentum, scorpionum, leonum, pardorum, luporum, vulpium, aprorum* &c. Terribile est, quod noster *Matthæus Raderus* scribit in *Viridario SS. de Cosma monacho*; cui inter alia tremenda spectra sese aspectabilem diabolus fecit hoc modo: Ad formidandi cuiusdam scopuli, & fluminis infrâ subjecti portam ingentem, modicè apertam, excubabat gigantea mole monstrum, aspectu foedum & atrum, truci & atroci vultu, luminibus distortis, grandibus, cruote suffusis, flammaram faces ejaculantibus, naso fumum proflante, linguâ totum cubitum extra os ex-

Eccc

ertâ;

(b) *Monstra orcina.*



ertâ; cui dextra manus quasi penitus exanimata & arida, altera verò infar columnæ crassecebat, nuda & in longum protensa, quâ noxiosprehendens, in chaos illud devolvebat. Nec est quidquam, quod possit pingi aut fingi tam horridum aspectu, terrificum, truculentum, quinetior, horridior, terribilior, truculentior, monstrosior sit aspectus cadæmonum. Hæc ille. Unde apparet, haudquaquam tanquam inania & frivola explodenda hæc & alia Poëtarum commenta, per varias & terribiles formas objicientium orcinos spiritus. Nam si has tollas fabulas, quidni historiarum quoque fidem abroges, illas inferorum larvas diversimodè repræsentantium? Et Plutonem, seu diabolorum principem cum sceptro, in folio, inter adstantes tartari proceres apparuisse, quis non legit? Oportet enim erudire sensus, ut instruat intellexit. Id, quod hoc in loco monere volumus, & pluribus in aliis revocari in mentem cupimus. De informibus Acherontis formis recurret occasio memorandi in Symbolo 100. ubi de Satyris.

III. (c) Plutonis nutum tota inferorum regio contremiscit. Tanta sunt vires dæmonum, ut si Deus permetteret, elementa naturali robore concuterent, fulmina jacerent, grandine, aquarum inundatione, terræ motibus horrendum in modum lævirent, terramque celo miscerent.

Et quia novem sunt potissimum carceris tartarei supplicia, omnia videntur à Poëtis adumbrata. *Primo* enim densissimæ tenebræ involvunt inferos. Quod innuit Maro 4. Georg. dum vocat

Pallentes umbras Erebi, noctemque profundam.

*Altera* sceleratorum apud inferos pœna, est, *Fletus & fridor dentium*. Hæc est Plutonis Musica. Hinc Tartarus dicitur à *ταρταρῷ* conturbo; quia illic lamentis omnia & luctibus perturbantur. Vel *ἀπὸ τῆς αἰσθητικῆς*, id est, à tremore frigoris. Hinc Iatratus tricipitis aut etiam centicipitis, ut Horatius canit, *Cerberi*, inferorum auribus, perdius, pernox tot gutturum Iatratus insonans. Hinc lugubres amnes Acheron, Styx, Cocytus, non tam undas, quàm lacrimas vehentes.

*Tertia, Fames & Sitis*. Hoc in Tantalo docuere Poëta, de quo, Symbol. 52,

*Quarta*, Fœtor intolerabilis, è tot vivorum cadaverum acervo; è sulphuris & picis oceano; ex tot damnatorum & diabolorum consortio. Quam ob causam locus inferorum *Avernus* dicitur, quasi *ἀβυσσος*, hoc est, *avibus carens*; Sive quòd aves supervolantes gravi eius odore enecentur: sive quòd sulphureæ exhalationes aërem usque adeò extenuent, ut aves sustinere non possit. De hoc Virgil. 6. *Æneid.*

(c) *Tormenta inferorum.*

Spelunca



Spelunca alta fuit, vastoque immanis hiatu,  
 Scrupea, tuta lacu nigro, nemorumque tenebris.  
 Quam super haud ulla poterant impunè volantes  
 Tendere iter pennis; talis sese halitus atris  
 Faucibus effundens supera ad convexa ferebat:  
 Unde locum Graii dixerunt nomine *Avernum*.

*Quinta*, *Ignis* horribilissimus, in ipsas etiam animas grassans. Quid enim aliud est inferorum *Phegethon*, flammis sempiternis exastuans?

*Sexta*, *Vermis* conscientiae semper rodens, semper crucians. Hanc carnificinam expresserunt per vulturem Tityi, jecur eius diu, noctuque depalcentem, de quo Symbol. 79.

*Septima*, Locus & societas execrabilis, unde infernale barathrum appellatur *Erebus*, Latine *tenebra*, *caligo*, *nox*. Quales in eo incolae? Describit Cicero de nat. deor. Amor, inquit, (scilicet impurus) Dolus, Metus, Senectus, Labor, Invidentia, Fatum, Mors, Miseriae, Querela, Fraus, Pertinacia, Somnia, o quam luctuosa! Haec ethnicus, & ethicus.

*Ostava*, *Desperatio*, momentis singulis sceleratos jugulans. Hoc agunt Furiae, scelerum ultrices gravissimae, quae nullam quietis partem concedunt impiis Manibus, quibus perpetuo intentant angues, insultant facibus, & ingesta criminum patratorem memoriâ, in continuam desperationem excruciant.

*Nona* est *Aeternitas*, inexplicabilis, immensa, incomprehensa. Atque ut circulus principio, fineque carens, est Symbolum interminabilis aevi; ita fluvii infernales, damnatorum carcerem in orbem ambientes, spem omnem evadendi pracludunt. Nec satis est ambitu simplici circumdari lamentabilem orcum; sed miseris, Poeta canente 6. *Aeneid*.

Fata obstant, tristisque palus innabilis unda  
 Alligat, & novies Styx interfusa coercet.

Explicatur hoc idem per Sisyphi semper revolubile saxum; per Danaïdum pertusum & nunquam explebile dolium, haec aeternitas cruciat Laphidas, Ixiona, Pirithoûmque,

Quos super alta silex, jam jam lapsura, cadenti  
 Imminet assimilis.

IV. (d) Idem Pluto, qui rex inferorum est. Divitiarum quoque deus habetur; & tunc *Plutus* vocatur. Hunc Poetae fingunt esse *Claudum*, *Alatum*, *Cacum*. Nam in adventu claudicat, dum lente accedunt opes. Sudandum est, algendum est, eurrendum est per terras & undas,

E e e e 2

donec

(d) *Plutus* divitiarum deus, & eius cornibus.



donec augeas nummos, & rem facias. Quot curas, sollicitudines, insomnes parit noctes improba fames pecuniæ? *Alas*, habet Plutus, nimirum in recessu: nam serò quidem divitiæ contrahuntur; velocissimè tamen, nisi frugaliter dispensentur, dilabuntur. *Cecum* quoque faciunt, & iudicii expertem, eò quòd indignissimus quisque divitiis affluat; probi autem & digni in re tenuissima versentur. *Δειδύμω* quoque apud Aristophanem, id est, *timidus*, esse dicitur, semperque trementi similis: nam quanta est cupiditas opes accumulandi, tantus est metus eas conservandi. Hinc Lucianus in Timone Plutum inducit, etiam *Pallidum* & concolorem auro, quòd animi angores etiam in vultum effundat. Audi Senecam in *Hercule Oeteo*. Act. 2.

O si pateant pectora ditum,  
Quantos intus sublimis agit  
Fortuna metus? Brutia, Coro.  
Pulsante fretum, mitior unda est.  
Pectora pauper securo gerit.

Apud eundem Lucianum Plutus de se ipso loquens cum Mercurio, ita infit: Simul atque, ó Mercuri, me quis apertis foribus exceperit, unà mecum intrat clanculùm *Elatio*, *Vecordia*, *Iactantia*, *Mollities*, *Violentia*, *Dolus*, atque alia innumerabilia monstra. Et tamen, qui admittunt me, prius omnia patientur, quàm ut tali vallatum satellitio rejiciant. Interrogatus deinde, cur adeò lævis, lubricus, & retentu difficilis esset, atque anguillarum & serpentum in morem, inter digitos elaberetur, cum *Paupertas* tam viscosa sit & prehensu facilis, respondit, id eò fieri, quòd pronissimum sit egestate involui; arduum verò & difficillimum opibus abundare.

Aliqui volunt Plutum esse Plutonis filium, jam tremuli senis, jam nequiculi pueri formam induentem: illius quidem, quia, cum cætera vitia in senibus decrescant, cupiditas tamen habendi in iis crescit; & quò minus restat viæ, tantò plus corradunt viatici. De Sene Horatius:

Quærit, & inventis miser abstinet, ac timet uti.

Puerum verò refert Plutus petulantem & fallacem, quia Cupidinis instar in animos se mortalium insinuat, & aditum sibi per varias parit artes ad sitim auri accendendam. Per modum imbris, ut Jupiter in sinum Danaës, illabatur, secumque mille dolos & fraudes infert. Digna tali parente soboles, quam Syri *Mammona* vocant, & quidem *iniquitatis*. Opes enim sunt vitiorum materia, & rarò sine hoc comitatu divertunt;  
juxta



juxta vulgare verbum : *Dives aut iniquus est , aut iniqui heres.* Habet igitur Pluto strenuum in filio emissarium , qui spargit nummos , ut viam sternat ad inferos. Quanta verò sit huius aurei aut ærei Numinis apud omnes gratia & veneratio , ostendunt duo vetusti versiculi :

Audito nummo , quasi quodam Principe summo  
Dissiliunt valvæ : nil auditur , nisi salve.

## SYMBOLVM XCVI.

Mars, Deus belli.

*Ex Variis.*

Ethicè.

1. Marris comitatus quid significet. Eius effigies. Bellona. Animalia Marti sacra. 2. Belli miserix. 3. Effectus. 4. Bellum justum. 5. Prudentia bellica. Celeritas in bello. 6. Martis currus, Symbolum est Pax iracundi. 7. Quinque sensus, Solis filix. 8. Victoria. 9. Pax.

**E**Tymon auius dei à Varrone lib. 4. de ling Lat. ducitur inde, quòd maribus in bello præsit. A Poëtis *Mavors*, appellatur per epenothosin, quòd *magna vertat*. Hic Jovis & Junonis filius esse fingitur; vel, ut Ovidius fabulatur, solius Junonis. Cùm enim olim Juno turbata, quòd animadvertisset Jovem percusso capite, sine femina commercio procreasse Minervam, versus *Oceanum* proficisceretur, percontatum, quo pacto & ipsa sine viro parere posset, itinereque fatigata, juxta fores deæ *Flora*, conjugis *Zephyri* consedisset; interrogata ab ea fertur, quam ob causam ad Oceanum pergeret: quâ cognitâ, facturam se voti compotem deam pollicita est, si id Juno celaret Jovem. Quod cùm Juno jurejurando promississet, mox illam *Flora* monuit, in campis *Oleniis* Achaiaë regionis florem esse, quò tactò statim conciperet sine viro. Id experta Juno, concepit, & peperit filium; quem Martem nominavit. Dicitur is *Gradius*, sive à *gradiendo* in bello ultro, citròque: sive à gradu militari, quo viginti millia passuum, seu quinque milliaria Germanica æstivis diebus sunt conficienda militi. *Geticus* Mars arvis præ-

Eccc 3

sidere